

M A H



IN VESTIBULO REGIS PALATII

1 6 1 2



~~GA 27~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-39.*

SIGNAT. CLDCCCXIII.



Ductore & Doctore SPIRITU  
SANCTO  
CONTROVERSIÆ

DE  
PROCESSIONE SPI-  
RITUS SANCTI à PA-  
TRE & FILIO simul,

PROPTER  
*Græcos, eorumq; æcclesias Armenos, Ruthenos,  
Moscos &c.*

Historicè pariter & Dogmaticè tractata, &  
in disputationem publicam, eamq; ordi-  
nariam, proposita

*in Electorali ad Albim Academia,*

AUCTORE AC PRESIDE

IOHANNES FÖRSTERO,

SS. Th. D. & Prof. Publ.

*Respondent*

M. JOACHIMO FLEISSERO

Vratislaviensi, Collegij Philosophici Adjuncto,

*ad 8. lunij hor. à VI. aut meridiana.*

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni,

ANNO M. DC. X.





*Magnifico, Strenuo, Nobilissimo & Am-  
plissimo VIRO,*

**Dn. ADAMO Dobschitz**  
*in Silbenato &c.*

*Ordinis Senatorij in inclita Vratislavia  
Seniori,*

**Urbis & Ducatus Praefecto,**  
*Patri Patriae,*

*Patrono optimè merenti,*

**Hanc exercitij Theologici materiam  
pro more meritoq;**

**D.D.**

**M. Joachimus Fleischer;**



Προοίμιον τῆς παρασκευαστικῆς.

# Themation I.



**N** priore Regum 22, v. 19. Propheta Micheas se vidisse affirmat, quòd Spiritus ille δεξιῶν coram DOMINO steterit dixeritq;

*Egrediar & ero Spiritus mendax (ἄψυχῃ Spiritus scurrilitatis) in ore omnium Prophetarum eius.*

## II.

Idque non saltem tum ipso actu Scurra & calumniator iste Stygius comprobavit: sed seculis etiam tempus illud postea infecuitis.

## III.

Et quidem in omnibus τῆς σοιχειώσεως θεολογικῆς articulis.

## IV.

Maximè verò in ijs, qui mysterijs secretioribus constant, adedque omnem humani ingenij captum longissimè superant & transcendunt.

## V.

Cujusmodi quoq; est doctrina de SPIRITU SANCTO, doctrina, inquam, religiosissima verequè augusta.

## VI.

Sed / heu scelus! heu facinus nefandum & malum!



quàm *Scurriliter* Spiritus iste nequam mysterium illud  
πενάγιον tractandum, imò ludificandum sibi sumsit.

VII.

Verè enim ac nimis verè egressus est factusq; ἡρῶν  
in ore complurium: quos quippe cò infantia adegit, ut  
perquam absurdè & impiè, addo etiam contumeliosè,  
de SPIRITU sancto, loqui & docere non exhorruerint.

VIII.

Silentio involvimus *Samosatenum, Macedonium, E-*  
νομιῖον, *Eudoxum* & alios uno communi nomine συλλή-  
βδην πνευματμάχας dictos.

βλασφη-  
μάτων in  
SPIRI-  
TUM SAN-  
CTUM  
εὐκε-  
Φαλαίω-  
σις.

IX.

Sicco etiam pedetransilimus *Nearianos* vel *Anti-*  
trinitarios, aut, ut ipsimet se vocari malunt, *Photinianos*,  
illorum veterum, in eodem ferè errore aut blasphemijs  
potiùs, successores.

X.

Certe anno CHRISTI 251. in Arabia extiterunt ho-  
mines quidam fanatici, *Helchesaitæ* appellati, qui inter  
alia deliria & hoc delirârunt, SPIRITUM sanctum esse  
sororem CHRISTI, femineo habitu præditam.

*Histor. Magd. cent. 3. pag. 98.*

XI.

*Simon Magus*, nec non *Cerdon*, & *Manes* seiplos pro  
SPIRITU sancto venditarunt.

*Hist. Magd. Centur. 2. fol. 479. Et Cent. 3. f. 114.*

XII.

*Hieracitæ* somniârunt ipsum *Melchizedechum* esse  
SPIRITUM sanctum, cò quod assimilatus sit FILIO  
DEI.

Cent.

Cent. III. Magd. f. 119.

XIII.

Circiter annum Christi 1564. Quidam Martinus Steinbach, Vector vinarius ùve doliarius Seiecestadiensis, Spiritum sanctum se esse dictitavit incarnatum, uti CHRISTUS Filius incarnatus est, hæreseos suæ fundamentum, Hierem. c. 48. statuens:

*Tranquillus Moabita à pueritia, inq. suis quiescens fecibus non ex alio vase transfusus in aliud, nec abiit in exilium.*

Et paulò post.

*Itaq. tempus erit, inquit JEHOVAH, cum ei vectores mittam, qui eum vehant, ejusq. vasa vacent, & lagenas collidant, pudebitq. Moabitas Chamosi, quemadmodum pudet Israelitas Bethelis suæ fiducia.*

XIV.

Isto Scripturæ testimonio Homo maleficus ad suam insaniam confirmandam abutebatur.

XV.

Cumq. sibi assecclas fecisset circiter 20. ex plebe, obiit, iisdemq. se post mortem appariturum splendore luminis affirmavit.

*Vide Theat. Zuvinger. vol. V. lib. IV. f. 1328.*

XVI.

Sed his & alijs istius farinae βλασφημῶσι, à Spiritu sancti rilitatis, in SPIRITUM SANCTUM, per homines furoris œstro percitos, effusis, consultò prætermisissis: unicum duntaxat errorem, ἐν τῷ πρῶτῳ, discutiendum aggredimur.

XVII.

Quem

XVII.

*θεσις.* Quem verò? Veterem illam Græcorum & Aſſeclarum corum opinionem, quã Spiritum ſanctum à Patre ſolùm: non autem à Filio ſimul procedere hodieq; contendunt.

XIIX.

*διάκρισις.* In hoc themate noſtra hæc verſabitur Diſputatio, quæ duabus conſtabit partibus ſummis & primarijs: *ἱστορικὴ ἡ μία: δογματικὴ ἡ altera.*

XIX.

In illa, ex hiftoriarum monumentis, de erroris illius initio & progrefſu, *ἁποπροσόδους ἐνεκα*, breviter difſeremus.

XX.

In hac, dogma illud de Proceſſione SPIRITVS ſancti pertractabitur, ita, ut aſtruatur veritas: falſitas deſtruat.

# PRIOR DISPUTATIONIS

pars, eaque *ἱστορικὴ.*

XXI.

Ut noſtro igitur inſtituto ſatiſſat: in priore huius Diſputationis parte *ἱστορικῆ*, duo nobis evolvenda ſunt;

XXII.

*1. De errore is initio.* **Unum eſt, Erroris illius origo vel initium.**

XXIII.

**Alterum ejuſdem progrefſus & continuatio ad hæc uſq; tempora. De utroq; *βραχέως καὶ παχυλῶς.***

XXIV.

*Error de proceſſione* **Ante Synodum Nicenam delirium illud nondum fuiſſe enatum, vel inde patet, quòd in Symbolo Niceno nulla**



nulla planè profectionis Spiritus sancti fiat mentio. *non extitit*  
Nam, hucusque tantùm illud pertingit: *Et in SPIRI-* *ante Syno-*  
*TVM SANCTVM.* *dum Nice-*

XXV.

Notum enim est, symbolis ea tantùm vel maximè  
fuisse comprehensa ac decisa, quæ erant controversa: Ea  
verò, quæ in disceptationem nondum venerant, silentio  
præteriri.

XXVI.

Quæ etiam causa est, ob quam in Symbolo jam no-  
minato, nihil extat de descensu CHRISTI ad inferos,  
alijsque Fidei articulis.

XXVII.

Eàdem porrò ratione ostendi potest, nec ante Syno- *Nec ante*  
dum Constantinopolitanam dogma illud de processio- *Synodum*  
ne Spiritus sancti à Filio in controversiam fuisse vo- *Constanti-*  
tum. *nopolita-*

XXIIIX.

Nam fuerunt quidem, auctoritate istius synodi,  
per Gregorium Nyssenum Symbolo Niceno isthæc ap-  
posita: *πνευματικῶν* autem blasphemijs opposita: *DO-*  
*MINVM & vivificantem. Qui cum patre &c.*

*Chemnitius I. Tom. L. Cf. 243.*

XXIX.

De processione autem Spiritus sancti à Filio verbum  
omninò nullum.

XXX.

Relinquitur igitur errorem illum, post illas syno- *Sed post*  
dos *ὀρθόδοξας*, Nicenam putà & Constantinopolitanam *illas Syno-*  
demum cepisse. *dos.*

XXXI.

Quando autem & quo autore is ceperit, non satis li-  
quet. *Sunt*

XXXII.

Sunt qui originem illius ad Macedonium referant.

XXXIII.

Sed id non videtur omnino verisimile, eò quòd Macedonius, perinde ut Arius & Eunomius: Spiritum sanctum κτισματὸς κτισματὸς esse, contendisse perhibeatur.

XXXIV.

Augustinus verò scribit; Macedonium dicere, licet Spiritus sanctus non sit DEVS; tamen esse Deitatem Patris & Filij, nec propriam subsistentiam habere.

Cent. IV. Magdeb. f. 365.

XXXV.

Quamvis igitur error Græcorum aliquam cognitionem cum opinione τὸν Θεὸν ἀφ' οὐρανόθεν γεννηθῆναι vel potiùs Ariatorum, quadantenus habere alicui videri possit: & forsan ἀπορρητὸν quædam illius ex hac arrepta etiam fuerit primitus: eos tamen erroris illius primos autores extitisse, liquidò evinci nequit.

XXXVI.

Theodore-  
tus primus  
istius erro-  
ris auctor.  
Istud autem planum est & perspicuum, quòd Theodoretus Theologus ille, (alias etiam Nestorianus,) doctus magis & callidus; quàm constans & candidus, summi cujusdam Theologi iudicio, expresse scripserit:

Spiritum Sanctum nec esse à FILIO, nec per FILIUM sed à solo PATRE.

In 7 furationib. anathematism. Cyrill. c. 5.

Cent. V. Magd. f. 1006.

XXXVII.

Ex quo conficitur: quòd hic pro primo erroris istius inventore merito habendus sit.

Floruit



XXXIIX.

Floruit autem Theodoretus, tempore Synodi Chalcedonenſis, circiter annum CHRISTI, 451. 451

XXXIX.

Et haectenus de erroris iſtius initio: videamus etiam ejusdem progreſſum.

XL.

Proximis abinde ſeculis duobus, nihil de errore iſto memoriae proditum extat amplius. 2. de erro-  
ris iſtius

XLI.

Anno autem CHRISTI 730. Iohannes Damascenus & Adodoſian illam propagare, ſuisq; lucubrationibus interpolare cepit, ſed obſcuriuſcule, dum lib. 1. Orth. Fid. Anno 730.  
c. 10, ita ſcribit:

Ὁμείως τὸ πνεῦμα ἅγιον τὸ κύριον, καὶ ζωνταίνον, τὸ ἐκ τῶν Πατρῶν ἐκπορεύμενον, καὶ ἐν ἡμῶν ἀναπαυόμενον.

Item: ἐκ τῶν Πατρῶν ἐκπορεύμενον, καὶ δι' ἡμῶν μεταδιδόμενον, καὶ μεταλαμβάνόμενον, ὑπὸ πίστεως κτισσεως.

XLII.

Anno autem CHRISTI 766. aut 767, juxta Adonem & Reginonem lib. 2, & Annales Francorum, in Villa Gentiliaco, apud Parisios, celebrata fuit Synodus. 766.

XLIII.

In qua inter Græcos & Romanos diſputatum de Trinitate, & de proceſſione Spiritus ſancti, utrum à Filio ita procedat ſicut à Patre.

XLIV.

Seculo ab hoc proximo vixit Theophylactus, qui doctrinam Eccleſiæ Occidentalis, quod Spiritus ſanctus etiam à Filio procedat, propalam oppugnare conatus eſt. 800. Theo-  
phylactus.

B

Sic



XLV.

Sic enim commentatur in 3. caput Johannis:  
Sanè Latini malè hæc exponentes, & minùs rectè intelligen-  
tes, dicunt, quòd Spiritus etiam ex Filio procedat. Nos  
autem hoc quidem primùm dicimus ad eos, quòd aliud  
sit, esse ex quopiam, & aliud esse cujusdam: ut Spiritus est  
quidem Spiritus Filij absq. dubio, & ab omni Scriptura  
approbatum: ceterùm esse ex Filio, nulla Scriptura testa-  
tur, ut ne duo principia Spiritus introducamus Patrem &  
Filium. Profectò, inquit: nam & inspiravit discipulis,  
& dixit: Accipite Spiritum sanctum. ò desipientiam!

XLVI.

Anno 1054. Hoc tempore manifestum exarsit inter Græcos &  
Latinos dissidium, adeò, ut circa annum DOMINI 1054.  
ab Imperatore Constantino X. premia constituta fue-  
rint ijs, qui contra Latinos aliquid scriberent.

XLVII.

Anno 1138. Anno autem DOMINI, 1138, sub Imperatore Lo-  
thario, institutum fuit colloquium, inter Philosophum  
Græcum, & Petrum Casinensem Monachum.

XLVIII.

Ibi tum Græcus inter alia:  
Vos decreta Concilij Niceni transgressi estis: Petrus con-  
trà: In quo transgressi sumus decreta Niceni Concilij? Græcus  
iterùm: In eo, quòd adjunxistis Spiritum sanctum à Filio quoq.  
procedere &c.

XLIX.

Eodem anno habita scribitur disputatio, de proces-  
sione Spiritûs sancti inter Anselmum Havelburgensem  
Saxonicum Episcopum, & inter Nechiten Nicomedium  
Archiepiscopum.

L.  
Propositio Nechitz hæc erat:

Credite

*Credimus & docemus, Patrem esse principium Filij, quem genuit: & eundem Patrem SOLVM esse principium SPIRITVS sancti, qui ab ipso SOLO procedit.*

L I.

Inde anno 1245, & postea iterum, Anno 1273. Lugduni in Gallijs ejusdem controversiæ causâ, Synodus congregata fuit.

L II.

Tandem, Anno 1438, celebratum fuit Concilium Ferrariæ, quod anno sequenti, propter pestem, Florentiam translatum, in quo Græci Romanos iterum falsationis Symboli accusarunt.

L III.

Ordine enim septem Occumenicarum Synodorum symbola recitarant, in quibus additio illa: (FILIOq;) deprehendi nequijt.

L IV.

Latini autem vetustum codicem septimi Generalis Concilij protulerunt, in quo Patrum subscriptiones erant per omnia illis, quæ in Græcorum volumine extabant, similes, qui additionem illam continebat.

L V.

Consenserunt igitur tandem Græci cum Latinis Spiritum sanctum ex PATRE & FILIO pariter procedere.

L VI.

Ceterum paulò post ad priorem errorem relapsi sunt, in quo hodieq; contumaciter perseverant, etiamnum hodieq; negantes, Spiritum sanctum à FILIO procedere quemadmodum *Acta VVitebergensium* abundè testantur & confirmant.

*Tempus additionis FILIOq; præcisè definitur nequijt.*

LVII.

Ceterum quod additionem illam attinet; de qua magno ardore inter Græcos & Latinos toties dimicatum fuit, certus utiq; annus, quo illa facta sit, præcisè definiri nequit.

LIIIX.

At enim verò, quia in Synodo Tolctana VI. (*Bellarminus falsò octavam fuisse scribit*) Anno CHRISTI 633, celebratâ, primitus recitatur Symbolum cum hac additione non inscitè isthinc colligi posse videtur: ἐπεὶ βοληὴν illam, circa istud tempus, Symbolo Niceno insertam fuisse, ex Symbolo Athanalij.

LIX.

Verba symboli in Synodo jam nominatâ recitati inter alia hæc sunt:

*Credimus & profitemur, Spiritum sanctum neq; genitum, neq; creatum, sed de PATRE FILIOq; procedentem, UTRIUSq; esse spiritum: ac per hoc substantialiter unum sunt, qui & unus ab VTROq; procedit.*

*Cent. VII. Magdeb. f. 364.*

LX.

Estq; cum primis ἀξιωματικόν & τὸν, quod Chronologis quidam valde industrius & eruditus, in Chronologia sua, annotasse legitur:

*Disputatio, (sicribit,) agitata à Græcis de SPIRITV S ANCTO, quòd à Patre, non autem à Filio procedat, cum hoc ab autoribus Symboli additum non sit Hispani autem tempore Pontificis Leonis primi id addiderant, & Galli id statim receperant; Romani verò tandem id admiserunt sub Papa Nicolao.*

*fol. 714.*

Et.

LXI.

Et haec tenus quidem prior Disputationis pars *ιστορικῆ*:  
Sequitur *ποστῆριον δoγματικῆ*.

P A R S D I S P U T A T I O N I S

posterior, caq; *δογματικῆ*.

LXII.

Hic verò *quinque* potissimum nobis expedienda ve-  
niunt:

- quorum
1. Τῶν ὀρθῶν ἐκθεσῶν.
  2. Τῆς συρράξεως κατὰ τὰς αἰῶνας.
  3. Τῆς ὀρθοδοξίας Βεβαίωσις.
  4. Τῆς ψευδοδοξίας ἔλεγχος.
  5. τῶν ψευδοθεμελίων κατὰ λυσις.

I. ἘΚΘΕΣΙΣ ΤΟΥ ὉΡΟΥ.

LXIII.

Τὸ ἐκπορεύεσθαι verbum est illud religiosissimum,  
quo ipsemet Filius Dei *ἰδιωμα χαρισματικῆς* vel *ὑποστα-  
τικόν* SPIRITUS sancti, quo à Patre & Filio differt, indi-  
gitavit. *Ioh. 15.*

LXIV.

In Paraphrasi Syriaca habetur verbum *emanandi*,  
quo Hilarius etiam usus est: *Spiritus sanctus, inquit, pro-*  
*cedit & emanat à Patre & Filio.*

*Lib. 12. de Trinit.*

LXV.

Quo nomine Spiritus sanctus & à Justino Martyre  
*δοτῆρῶν τῶν δεξιῶν* à Nazianzeno autem *θεότητος αἰεὶ δoτῆρ-*  
*ῶν* nominatur.

Differen-  
tia inter

1. τὸ ἐκ-  
πορεύεσθαι

2. ἐξελ-  
θεῖν.

3. ελθεῖν

& ἐπιλ-  
θεῖν.

Differt

B. 3

LXVI.

ἢ τὸ ἐκπα-  
ρέυεσθαι.

Differt τὸ ἐκπαρέυεσθαι, tum ab ἐξελεῖν, quod de Filio etiam; tum ab ἐλθεῖν, & ἐπελθεῖν, quod de Spiritu sancto aliàs in Scriptura enunciatur.

LXVII.

Nam τὸ ἐκπαρέυεσθαι proprium est solius Spiritus sancti, notatq; æternam ex Patris & Filij essentiã spirationem; cuius gratia SPIRITUS sanctus ἱψορψω (b) Itemq; SPIRITUS oris DOMINI; (c) sicut Filius contra, Filius uteri (d) appellatur.

(b) Job. 33, 4. (c) Psal. 33, 6. (d) Psal. 110, 3.

LXIIIX.

Est autem ἐκπαρέυσις seu processio, non recessus quidam ex reliquarum personarum Deitate: sed est communicatio Divinæ essentiæ, quã sola tertia persona Divinitatis, à PATRE & FILIO eandem totam & integram accipiendo, ab utroq; persona distincta existit, & interim tamen essentialiter, περιχωρήσει quadam ineffabili, in PATRE FILIOQ; manet.

LXIX.

Nam, ut *Justinus* (f) *Martyr* scire ait: ὡς περ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ Πατρὸς ἔτω καὶ τὸ πνεῦμα, ἀλήγει τῷ τρόπῳ τῆς ἀρχῆς αἰῶνος. Ὁ μὲν γὰρ Φῶς ἐκ Φωτὸς γεννητῶς ἐξέλαμψε. Τὸ δὲ Φῶς μὲν ἐκ Φωτὸς καὶ αὐτὸ, & μὴν γεννητῶς, ἀλλ' ἐκπαρευτῶς ἐσοῦν ἔθηκεν.

(f) In ἐκθέσει πίστεως.

LXX.

Non igitur procedit SPIRITUS SANCtus à PATRE & FILIO, ut accidens ex subiecto (non enim accidens est, sed substantia,) nec ut substantia finita, ex substantia finita. AEquè enim ut PATER & FILIUS est (g) immensus: sed per communicationem ejusdem essentiæ.

(g) Psal.



(g) Psal. 139, 7. Sap. 7.

LXXI.

Qua ratione autem cum processione Spiritus sancti comparatum sit, humana mentis indagine investigari nec potest nec debet, quemadmodum gravissimè monet Nazianzenus sic scribens:

Ἀκρίεις γένησον, τὸ πῶς μὴ ἀπεργάζῃς· ἀκρίεις, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ πατρῷον ἀπὸ τῶν πατέρων, τὸ ὅπως μὴ πολυπραγμονεῖ.

In orat. de statu Episcop.

LXXII.

τὸ ἐξελθεῖν porro de CHRISTO (e) usurpatum, significat ipsius egressum, non illum æternum ex (f) substantia Patris, per generationem; sed istum in tempore factum, per missionem in carnem, ad peragendum opus redemptionis.

(e) Joh. 8. 42. c. 13, 3. c. 16, 28.

(f) Mich. 5, 2.

LXXIII.

τὸ ἐλθεῖν (g) vel τὸ ἐπελθεῖν (h) deniq; de SPIRITU sancto enunciata missionem ipsius designant.

(g) Joh. 16, 7. 8. 13. (h) Luc. 1, 35. Act. 1, 8.

LXXIV.

Quæ vicissim vel visibilis vel invisibilis.

LXXV.

Visibilis, est ὀφθαλμοφανῆς ἀποκάλυψις, quæ, visibili specie καὶ ὁμοιωσάσθαι ad tempus assumptâ, se conspiciendum exhibuit, ut maximè.

Gen. 1, 2. Matth. 3, 16. Act. 2, 3.

LXXVI.

Invisibilis est, ejusdè donatio, per Verbū & Sacraments,

quæ

2. τὸ ἐξελθεῖν.  
θεῖν.  
3. τὸ ἐλθεῖν & τὸ ἐπελθεῖν.



quæ ejusdem ὁχλήματα divinitus ordinata; cepitq; cum  
ipsis Ecclesiæ primordiis, & adhuc subindè in Ecclesia  
durat.

LXXVII.

Et hætenus quidem fuit θεωρία ὀνόματος: Succedit  
θεωρία τῶν πράγματων.

II. ΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ ΣΥΠΡΑΞΕΩΣ.

LXXVIII.

Ubi status controversiæ ἀκριβέστερον καὶ σαφέστερον for-  
mandus venit.

LXXIX.

Idq; per τῶν μὴ ζητημένων ἀφαιρέσιν: veriq; τῶν ζητημένων  
θέσιν, dabimus expeditum.

XXC.

Removemus igitur à præsentī hac controversia  
quatuor maximè ζητήματα.

XXCI.

Quorum I. de SPIRITUS SANCTI ἀνθυψω-  
σίου.

XXCII.

2. De ejusdem cum Patre & Filio ὁμοουσίᾳ.

XXCIII.

3. De ejusdem, in operibus Sacrosanctæ Trinitatis  
ad extra, communi ἐνεργείᾳ.

XXCIV.

4. De illa Patris γενικῆ πρᾶξει, qua dicitur,  
πηγαῖα θεότης: ὁ δὲ ἰησὺς καὶ τὸ πνεῦμα τῆς θεογονίας θεότη-  
τος, εἰ ἔτιω ζῆ Φάναι, βλάστοι καὶ ὄιον ἀνθη καὶ ὑπερῶσια  
Φῶτα.

Dionys. Areopag. lib. de Eccl. Hierarch c. 13.

De

τὰ μὴ ζη-  
τημένα  
quatnor.

3

4

XXCV.

De his enim omnibus & singulis nulla inter nos & Græcos *διχοστασία*; sed *ὁμοφροσύνη* utriusq;

XXCVI.

Omnis autem disceptationis istius cardo volvi-<sup>τὸ ζήτη-</sup> tur, in quæstione *de interna personarum Sacrosanctæ & indi-*<sup>μενον</sup> *vidua Trinitatis operatione, earumq; invicem, inde depen-* dente, personali relatione ac distinctione.

XXCVII.

Summa huc rodit:

*An SPIRITVS sanctus simul à Patre & Filio procedat, id est, ut clariuscule statum controversiæ exponamus;*

*An solus Pater spirando producat SPIRITVM sanctum, excluso inde Filio; an verò uterq; & Pater & Filius simul unâ indivulsâ spiratione SPIRITVM sanctum producant, ut ita ipse utriusq; *ἑσθότως* com-  
mune spiraculum vel *ἑσθότως* existat.*

XXCIX.

Posteriores istius *ζήτησις* partem purior CHRISTI *Sententia* Ecclesia tenet & ructur; sicut ipsius testatur *Confessio in* Ecclesia pu-  
Synodo Florentina hisce verbis edita: *vioris.*

*In nomine sanctæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino concilio, defini-  
nimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis cre-  
datur & suscipiatur, sicut omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumq; esse subsistens habet, ex Patre simul & Filio, & ex utroq; æternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit.*

XXCIX.

*Priorem verò quæstionis istius partem asserunt, & pro-* *Opinio*  
*pugnant Græcorum.*



pugnant *Græci* tum *Antiquiores* superiorum, tum *Recentiores* hujus præsentis seculi.

XC.

Quæ *Antiquorum* fuerit sententia: ex eorum Confessione superius allegatâ, propalam liquet.

XCI.

Quid *Recentiores* hodiè sentiant, abundè docent & declarant *Acta* *Virtembergensium*, ubi in *Secundo* *responsio* *Patriarchæ Constantinopolitani*, prolixè & acerbiusculè contenditur, quòd *SPIRITUS* sanctus à *Patre* solùm procedat: à *Filio* autem *minimè*.

(D) 200. sub. tit. *Ἐκ πορεύσεως τῆς ἁγίας πνεύματος*.

XCII.

Nos *principium* saltem & *finem* illius disceptationis ascribimus, eo fine, ut, quòd hodieq; *Græci* à nostris, in hoc doctrinæ capite, *Ecclesijs* dissentiant, perspicui intelligiq; possit.

XCIII.

*Principium* tale est: *ἔστιν ἐν τῷ πρώτῳ, ἐν ᾧ διαφωνῶμεν, ἡ τῆς ἁγίας πνεύματος ἐκπορεύσις.*

XCIV.

*Finis* verò sic se habet:

*Ἄφετε πίνω, πρὸς θεῶν, ἀφετε τὸ εὐσεβεῖν λόγους τέττα ἕνεκα ἀληθείας μακροῖν, καὶ τὸ εὐσεβὲς δόγμα λάβετε, ὡς εὐφρανῶσασιν. Ἐκ τῆς πατρὸς γινώσκοντες τὸ πνεῦμα ἐκπορεύομενοι. Καὶ ἕτως ὡμεν πρὸς τέττα φίλοι καὶ ἀδελφοὶ ἐν Χριστῷ.*

III. ΤΗΣ ΟΡΘΟΔΟΞΙΑΣ ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

XCV.

Sed progrediamur ad *orthodoxias* nostræ confirmatio-

NCM

nem, demonstraturi, quòd SPIRITUS SANCTUS à  
FILIO quoq; procedat.

XCVI.

Eò autem faciunt *αὐτόπιστε* Scripturæ testimonia, qui-  
bus nos, *Suffragia Orthodoxæ Antiquitatis*, consensus  
testificandi gratiâ, *ἐκ τῆς περὶ αὐτοῦ*, adjungemus.

XCVII.

Prodeant igitur Scripturæ *θεσπίσματα*, eo ordine, quo  
in Codice Biblico consignata extant; sed compedibus  
Syllogisticis illigata; quandoquidem non *ρητῶς*: sed, per *V. Testimo-*  
consequentiam, thema illud indè atrui oportet. *nia ἀγί-*  
*γραφα*  
*pro ὁρθο-*  
*δοξία.*

XCIX.

In primo igitur limine occurrit illud *Esa. c. ii.* quo  
SPIRITUS SANCTUS, *SPIRITVS labiorum CHRIS-*  
*TI* dicitur, perindè ut *2. Thess. 2.* idem *SPIRITVS oris*  
*ejus* appellatur.

XCIX.

Indè sic argumentamur:

*DE* similibus idem esto *judicium*,  
*Jam* verò *SPIRITVS SANCTVS* dicitur *(i)* *Spiritus oris*  
*DEI Patris*, eò quòd ex incorporeo *Deitatis* ipso ore  
procedat, vel, ut *(k)* *Basilius* loquitur; quia *πνεῦμα ἐκ*  
*τῆ ἀρρήτου σώματος ἀρρήτως ἐκπεφηνός.*

*Ergo* pari ratione est & dicitur *Spiritus labiorum & oris*  
*CHRISTI*, propter inenarrabilem nempe ex *essentia*  
*ipsius* processione.

*(i)* *Psal. 33, 6.* *(k)* *in Homil. eis τὸ ἅγιον βάπτισμα &c.*

C.

Et id ipsum sanè est, quòd *CHRISTUS* *δεί-*  
*ξει ἐφ' ὄφθαλμοφανεί* insinuare voluit; dum halitu ex o-  
re, emisso, tanquam *Symbolo παρεκπῶ* vel exhi-  
bitivo,

C.

birivo, Apostolis suis SPIRITUM simul sanctum dedif-  
se legitur, *Ioh. 20.*

C I.

2. *Secundo huc pertinet istud CHRISTI Ioh. 15, 26. &  
16. 7.*

*Quem ego mittam vobis à P A T R E.*

C II.

*Isthinc enim tale argumentum reri potest:  
Si CHRISTVS potestatem habet mittendi SPIRITVM  
sanctum: ab eo etiam hic procedat necessum est.*

*Sed verum prius,  
Ergo & posterius.*

C III.

*Assumptum ex pronunciato CHRISTI jam prola-  
to per se patet. Ratio connexionis in Copulato indiget &  
probatione & declaratione.*

C IV.

*Probatio hæc est. Quia aliàs non potest afferri causa,  
ob quam CHRISTO jus mittendi SPIRITUM san-  
ctum competat; siquidem è sola ὁμοσμία illud evinci ne-  
queat.*

C V.

*Declarationem suppeditat exemplum DEI PA-  
TRIS. Sicut enim is à nemine mittitur, eò quod pla-  
nè ἀναρχὸς καὶ ἀναιτὸς: Ipse verò solus mittit Filium,  
quia ab ipso solo γεννητὸς genitus: ita quoque SPIRI-  
TUS sanctus non à solo Patre: Sed à Filio etiam mitti-  
tur, quia ab utroq; pariter, uno & eodem æternæ proces-  
sionis actu, existit.*

C VI.

*Et hæc causa est illius ἀντιστοχίης, quâ Pater Spiritum  
Filij,*

Filij, & viceversa Filius Spiritum Patris mittere pronun-  
ciatur.

*Gal. 4, 6. Joh. 15, 26.*

**CVII.**

Tertio eodem faciunt nomina **SPIRITUS Sancti**,  
quibus (l) Spiritus **CHRISTI**, (m) Spiritus Filij, (n)  
Spiritus **JESU CHRISTI**, in Scriptura salutatur.

(l) *Rom. 8, 9.* (m) *Gal. 4, 6.* (n) *Phil. 1, 19.*

*1. Pet. 1, 11.*

**CVIII.**

Ex his enim istiusmodi formari potest argumen-  
tum.

*Cujus persona Trinitatis SPIRITVS sanctus dicitur esse Spi-  
ritus: ab illa etiam spiratus procedit.*

*At dicitur & est non tantum PATRIS, sed etiam FILII  
SPIRITVS. Ergo non a PATRE solum: sed a FI-  
LIO etiam spiratus procedit.*

**CIX.**

*Minor manifesta est ex testimonijs Scripturae jam  
allegatis.*

**CX.**

*Majoris veritas elucet e consimili Scripturae loco,  
quo SPIRITUS sanctus dicitur (o) SPIRITUS PA-  
TRIS; eandem pariter ob causam, quia nimirum ab i-  
pso procedit, per internam & aeternam hypostaseos ejus  
productionem, (p) interpretare Apostolo, cui Synonyma  
sunt, Spiritum DEI esse, & esse Spiritum ex DEO.*

(o) *Matth. 10, 20. Rom. 5, 9.*

(p) *1. Cor. 2, 11, 12.*

**CXI.**

Planè ut unum & idem sunt **FILIUM DEI** esse, &  
ex **DEO** natum esse.

**C** 1

*Quar.*

**CXII.**  
A *Quartum* testimonium est ipsius **CHRISTUS**  
Ioh. 16.

**SPIRITVS** sanctus de meo (cuius et ipse ex meo) accipiet &  
annunciabit vobis.

Et paulo post: Propterea dixi, quia de meo (cuius et ipse ex  
meo) accipiet &c.

**CXIII.**  
Syllogismus talis esto:

Quicquid accipit **SPIRITVS** sanctus à **CHRISTO**, id  
non in tempore accipit, sed ab aeterno,

Jam **SPIRITVS** sanctus omnia accipit à **CHRISTO**.

Ergo.

**CXIV.**  
Et rursus:  
Quicquid ab aeterno **SPIRITVS** sanctus à Filio accipit: id  
ut, per aeternam ab ipso processionem accipiat, necessarium  
est:

sed Spiritus sanctus omnia accipit à Filio ab aeterno.

Ergo.

**CXV.**

Major sic illustrari potest, sicut enim **FILIUS** non  
nisi per generationem omnia à **PATRE** accepit: ita  
quoque Spiritus non nisi per aeternam processionem omnia  
à Filio accepisse, rectissime creditur.

**CXVI.**  
S *Quintum* locum sibi vendicant iterum hæc **CHRIS-**  
**TI** apophthegmata:

Joh. 16. Omnia quæ **PATER** habet mea sunt.

Et Joh. 17. Omnia tuæ mea sunt.

**CXVII.**  
Hinc tale conficimus argumentum:

Quic



Quicquid habet PATER, id omne etiam habet FILIVS

(ὅλην τῆς ἀγεννητίας καὶ γενήσεως juxta limitationem

(q) Damasceni ex Augustino.)

Iam verò hoc habet PATER, quòd ex ipso procedit SPIRITVS SANCTVS.

Ergo idem etiam habet FILIVS.

(q) lib. 1. orth. p. 10.

CXIX.

Et sic vidimus classica scripturæ testimonia, pro nostra, de processione Spiritus sancti, ex Filio orthodoxiæ certam militantiã.

CXIX.

Restant suffragia Orthodoxiæ Antiquitatis Græcæ, Suffragia ideo adjungenda, quia Græci, autoritate Græcorum Patrum, suam causam maximè munire ac stabilire conantur; sicut cernere est in responso Jeremiæ, Patriarchæ Constantinopolitani, cujus paulò antè facta est mentio,

fol. 218. 219.

Eorum autem potissima collegit Lombardus ex Athanasio, Didymo, Cyrillo, Chryostomo.

Lib. 1. Dist. XI. l. E.

CXX.

Nos saltè unum atque alterum breviter adscribimus.

Athanasius in Symbolo

Fidei:

SPIRITVS SANCTVS à PATRE, & FILIO

non factus nec creatus; nec genitus; sed procedens.

Chry

Chrysoſtomus Homil. 1. & 2.  
de Symbolo.

Iſte eſt SPIRITVS, à PATRE & FILIO procedens.

Cyrillus in Epist. contra Neſtorium  
directa:

SPIRITVS intelligitur per ſe ſecundum quod SPIRITVS  
eſt, & non FILIVS: ſed tamen non eſt alienus ab eo:  
SPIRITVS enim veritatis nominatur, & PROFLV-  
IT ab EO, SICVT EX DEO PATRE.

CXXI.

Sed conferamus nos ad opinionem Græcorum bre-  
viter quidem, ſed ſolidè refutandam.

IV. ΕΑΡΓΕΙΣ ΤΗΣ ΨΕΥΔΟΔΟΞΙΑΣ  
Græcorum.

CXXII.

Refutatio Synopſis & metropolis noſtræ Refutationis ſit Ca-  
Græcorum tholicus iſtic Syllogiſmus:

ex IV. ab. Doctrina, pariens abſurditates monſtroſiſſimas, inq. articulum  
ſurditatib. A de DEO Vno ac Trino adverſa fronte impingentes:

impia eſt & falſa, ac proinde extra Eccleſia ſines proſcri-  
benda:

Sed talis eſt doctrina Græcorum, qua Spiritum ſanctum à ſolo  
PATRE: non autem ſimul à FILIO procedere con-  
tendunt.

Ergo hæc Græcorum doctrina impia eſt, & falſa, ac proinde ex-  
tra Eccleſia ſines proſcribenda.

CXXIII.

Assumptionem confirmamus εναντιον vel εναντιον  
abſurditatum Theologicarum, quæ ex illa Græcorum  
Ψευδοδοξια, tanquam ex impuriſſimo fonte, profluunt &  
emanant.

Primò

CXXIV.

*Primò* enim: si Spiritus sanctus non à P A T R E & F I L I O simul procedit: tum (r) unitas illa & identitas essentialis Divina, (quâ P A T E R & F I L I U S unum sunt, & esse dicuntur) dividitur, eòq; Tritheitarū delirium, quo tres numero Deos essentijs inter se divisos constituerunt, stabilitur.

(r) Ioh. 10, 13. c. 17, 21.

CXXV.

*Secundò*: si SPIRITUS sanctus non etiam à Filio procedit: non habet proprium ipse Spiritum; id quod Scripturæ testimonijs superiusculè allegatis omnino ad-versatur.

CXXVI.

*Tertiò*: si SPIRITUS sanctus à solo P A T R E procedit, sicut F I L I U S ex P A T R E solo genitus: tum expirat ratio ordinis inter personas Sacrosanctæ Trinitatis. Causa enim afferri non potest: cur F I L I U S, & non potius SPIRITUS sanctus, pro secunda illius persona agnosceatur.

CXXVII.

*Quartò*: si SPIRITUS sanctus non etiam à Filio procedit: utiq; nulla monstrari potest hypostatica connexio inter Filium & Spiritum sanctum; id quod absolutissimæ sacrosanctæ Trinitatis perfectioni, & personarum ejusdem mutux connexioni, & *πείχωρησι* intimæ, καὶ *ὑπερβολῆν* contrarium & infestum.

V. Τῶν ψευδοθεμελίων καταλύσις.

CXXIIX.

Et hætenus etiam brevis erroris Græcorum refutatio; Restant eorum Fundamenta: quæ vicissim pariter

D

Objectio-

*Objectiones: partim Exceptiones, contra Testimonia Scri-  
pturae paulò antè à nobis proposita.*

CXXIX.

Responsio  
ad III. Obje-  
ctiones.

Inter *Objectiones* primas tenent: 1. τὸ ἀγαφον, 2. τὸ ἀπο-  
πον 3. τὸ δεχαρον.

CXXX.

1. *Tò ἀγαφον* maximè urgent ex ijs Scripturae locis, ubi tantùm de Patre enunciatur, quòd ab ipso Spiritus sanctus procedat; cùm contrà nusquam in universo Codice Biblico expressè scriptum extet, quòd SPIRITUS sanctus procedat à Filio. *Ioh. 15, 26. Act. 2, 33. Tit. 3, 6.*

CXXXI.

Respondeo 1. Etsi in Scriptura non *διαρρήδην* extant hæc verba: SPIRITUS Sanctus procedit à FILIO: *sensus* tamen eorum verborum inibi habetur, bonâq; consequentiâ indè elici potest, sicut modò evidenter ostendimus.

CXXXII.

2. Si illa Græcorum collecta *ο* valeret: tum etiam sacrosancta Trinitas & personarum Trinitatis *ὁμοσμία* & alia, in quibus nobis *ὁμόψηφοι*, eâdem ratione, abneganda forent.

CXXXIII.

3. In illo *Iohannis 15, 26.* non additur: Qui à SOLO PATRE procedit, sed simpliciter dicitur: qui à PATRE procedit.

CXXXIV.

4. Etsi CHRISTUS ibi non ait, qui à PATRE & ME procedit; eodem tamen contextu promittit: se missurum esse SPIRITUM sanctum. Missio autem SPIRITUS SANCTI, ut suprâ dictum, præsupponit potestatem mittendi, non aliunde, quàm ab æterna processione, dependentem.

5. Quòd

CXXXV.

5. Quòd CHRISTUS ibi non facit disertam mentionem processioneis, quæ ex se est: id suo more facit, quoad PATREM quod ipse est, (quia ab illo habet, tanquam ab Origine & Fonte DEITATIS) referre solet.

CXXXVI.

II. Τὸ ἄτοπον, quod objiciunt Græci, ipsimet hisce verbis exponunt:

ἐκείνοι οἱ τὸ πνεῦμα ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ πηγόμενοι, τὴν δυάδα δεχθῆναι τῆς μοναδῆς λέγουσιν, ὅπερ ἄτοπον.

*Act. V. Vitenb. f. 210.*

CXXXVII.

Absurdum nempe esse existimant, si doceatur: Unum Spiritum à duabus distinctis personis produci:

CXXXIIX.

Sed respondetur per distinctionem: inter ὑπόστασιν ἰστίαν & ἐνεργεσίαν. Et si enim PATER & FILIUS differunt invicem τῇ ὑπόστασει: Unum tamen sunt τῇ ἰστίᾳ, unâq; & eâdem spirationis ἐνεργείᾳ, ut unum in spirando συνδυαζόμενον, unum & eundem Spiritum producant.

CXXXIX.

III. Τὸ δεχθῆναι afferunt & depromunt ex scriptis Patrum Græcorum, sicut & Conciliorum, quib. utrisq; opinionem suam stabiliter firmatam, firmiterq; stabilitam esse gloriantur.

CXL.

Sed gloriatio vanâ & inani; quemadmodum partim dicta Patrum Græcorum thesi 119. adducta: partim historica narratio in priori hujus Disputationis parte pertexta, liquidò confirmant.

D 2

Quòd

CXLI

Quòd si Patres dicunt, SPIRITUM propriè ac verè  
(sicut Hieronymus) vel principaliter (t ut Augustinus) à  
PATRE procedere: id, interprete (u) Lombardo, non est  
ita intelligendum, tanquam prius vel plenius à PATRE pro-  
cedat, quàm à FILIO: sed quia hoc habet PATER à se, non  
ab alio, ut de ipso sit & procedat SPIRITVS sanctus &c.

(t) Tom. IV. in Epist. ad Cyrill. cuius initium:

Credimus in unum DEUM PATREM.

(t) lib. 15. de Trinit. c. 17.

(u) lib. 1. Dist. 12. l. C & D.

CXLII.

Resp. ad V. Tantum de objectionibus: Sequuntur Exceptiones con-  
tra testimonia Scripturæ superius proposita.  
nes.

CXLIII.

1. Primò, ac nominatim quidem, contra illud Joh. 20.  
quo CHRISTUS insufflando Discipulis suis Spiritum  
sanctum dedisse celebratur, tria excipiunt.

Act. V. Vitenb. f. 206.

CXLIV.

1. Ex Chrysostomi sententia asserunt: CHRISTUM  
non ipsum SPIRITUM sanctum: sed donum modò pec-  
cata remittendi discipulis dedisse.

CXLV.

Sed manifestè reclamationem Textus, in quo quippe discre-  
tè & apertè invicem distinguuntur Spiritus sanctus,  
quem dedit *insufflando*: & donum remittendi peccata,  
quod dedit *dicendo*.

CXLVI.

2. Clamant, ita invicem confundi non dari & non proce-  
dere.

Respon-

CXLVII.

Respondeo: Non confunduntur: sed distincta sunt, & interim tamen ita se mutuò respiciunt: ut datio præsupponat processionem.

CXLIIII.

3. Instant: sequi indè SPIRITUM sanctum non mittere seipsum, & proinde non esse eandem potentiam SPIRITUS, quæ FILII.

CXLIX.

Respons. Ex Regula vulgò nota: *Opera ad extra sunt indivisa: sed servato ordine personarum in existendo.*  
*Revide theses 104. 105.*

CL.

2. *Secundò* contra illa CHRISTI Joh. 15, 26. & 16, 7. enunciata, quibus se SPIRITUM sanctum missurum profitetur, oggerunt; Non esse necesse: si quis aliquid mittat: ut is propterea *ὑπὸ ἀρχῆς αὐτῆς* sit αἰτιον.  
*Act. V. Vitenb. f. 206. 207.*

CLI.

2. Respondeo: Verum esse illud in *humanis*: secus autem se habere in *Divinis*, ubi missio SPIRITUS sancti à FILIO, necessariò præsupponit mittendi potestatem; cuius in absolutissima illa simplicitate, causa dari nequit alia, quam, quia FILIUS αἰτιον τῆς ὑπὸ ἀρχῆς SPIRITUS SANCTI, per æternam spirationem.

CLII.

3. *Tertiò* nomina, quibus Spiritus sanctus, etiam CHRISTI SPIRITUS salutatur eludere conantur, afferentes, SPIRITUS vocabulum non esse *ἁπλοῦς δηλωτικόν*, id est, non significare respectum, quo referatur ad PATREM & FILIUM.

*Disputatio III. Act.*



Act. V. Vitenb. f. 107. & seq.

CLIII.

At verò contrarium vel ipsum Spiritus nomen arguit; idq; tam evidenter, ut PATER nulla alia ratione, quàm sub *ἀέρι* SPIRANTIS & SPIRITÛS, vel SPIRACULI, SPIRITÛS SANCTI principium dici possit.

CLIV.

4 Quartum testimonium Ioh. 16. De meo accipiet & c. restringunt ad PATREM: quasi diceret CHRISTUS, ex meo PATRE accipiet.

Act. V. Vitenb. f. 207.

CLV.

Sed pugnat hoc glossema cum CHRISTI *sententiâ*, sine intervallo & fundamenti loco, proximè subjectâ, qua pro palam testatur, quod omnia quæ PATER habet, at, etiam ipse possideat.

CLVI.

2 Cum interpretatione Epiphaniij, qui verba illa de persona Filij & non PATRIS exponit:

PATER, inquit, *verè generans Filium: & Filius, verè genitus ex PATRE subsistens principij & temporis æternitatis: SPIRITUS Sanctus verè ex Patre & FILIO eadem DEitate: ex PATRE procedens, & Filio accipiens semper.*

Καὶ τὰς ἀλλήλων τὴν ἐκείνου τὸν αὐτὸν

CLVII.

3 Quod autem CHRISTUS dicitur, verbo futuri temporis: illud facit, vel per *ἀντιπροσωπία* *ἐταυ*, quàm etiam in verbo Accipiendi animadvertere licet, vel, respectu æternitatis, extra considerationem discrimini temporis posita.

CLIX.

Et huc etiam tendit interpretatio Augustini,

Sic





Sic itaq; inquit, debemus accipere, ut intelligamus non eum  
esse à seipso: audire autem illi scire est: Scire verò esse.  
Quia ergo non est à semetipso; sed ab illo à quo procedit,  
à quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo audientia.  
Semper itaq; audit SPIRITVS sanctus, quia semper  
scit. Ab illo ergo audit, audivit & audiet. Nec mo-  
veat, quòd verbum futuri temporis positum est: illa  
quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna sci-  
entia.

CLIX.

Quintò contra illud Joh. 16. Omnia quæ PATER ha-  
bet mea sunt, afferunt instantiam, ex ἀγεννησίῃ desum-  
tam.

CLX.

Sed hanc ipsam nos ipsi superius nominatim exce-  
pi mus, cum Damasceno, qui in summa apud Græcos au-  
toritate, nihilq; quàm solam ἀγεννησίαν & γέννησιν ab uni-  
versali ista CHRISTI assertionem ausus est excipere.

CONCLUSIO.

CLXI.

Et sic etiam fuerunt Exceptiones. Quod superest, Κόριον  
Disputationi huic Colophonem imponimus Conclufi-  
one hac universali: SPIRITVS sanctus uno indiviso spi-  
rationis actu à PATRE & FILIO simul spiratur, & spirando  
procedit.

CLXII.

Et proinde rejicimus errorem Græcorum, SPIRI-  
TUM sanctum à FILIO procedere negantium.

CLXIII.

Qui error, quia FILIUM interna operatione pro-  
ducendi SPIRITUM SANCTUM privat, non adeò le-  
vis est momenti.

Græcis

CLXIV.

Græcis tamen propterea Ecclesiæ & Christiano-  
rum titulum non denegamus; quandoquidem in Arti-  
culo de Trinitate aliâs nobis planè sunt *ὁμοσπονδοί.*

CLXV.

*Εὐχὴ.*

*Aperiat ipsis DOMINUS tandem oculos,  
ut lucem Doctrinæ cœlestis in hoc & aliis Christi-  
ana Religionis capitibus plenius & clarius  
videant & cognoscant,  
Amen!*

CLXVI.  
**F I N I S.**



*Qui in spiritu sancto operatur pro-  
ducendi spiritum sanctum privatim ad  
Græcis*



ULB Halle

3

003 142 353




56.

V 7 17







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



9

29



re SPIRITU  
 ERSIA  
 ONE SPI-  
 CTI à PA-  
 O simul,  
 ER  
 menos, Ruthenos,  
 c.  
 naticè tractata, &  
 am, eamq; ordi-  
 ofita  
 Academia,  
 RESIDE  
 RSTERO,  
 .Publ,  
 PRO  
 LEISSERO  
 ofophici Adjuncto,  
 meridianis.  
 G Æ  
 annis Gormanni,  
 DC. X.

